

*caedes Romae facta est, ego Athenis eo die fui, interesse in caede non potui.* Hoc quia perspicue verum est, nihil attinet approbari. Quare assumi statim oportet, hoc modo: *Fui autem Athenis eo die.* Hoc si non constat, indiget approbationis: qua inducta, complexio consequetur. Est igitur quaedam propositio, quae non indiget approbatione. Nam esse quandam, quae indigeat, quid attinet ostendere, quod cuivis facile perspicuum est? Quod si ita est, ex hoc, et ex eo, quod proposueramus, hoc conficitur, separatam esse quiddam a propositione approbationem. Si autem ita est, falsum est non esse plus quam tripartitam argumentationem. Simili modo liquet, alteram quoque approbationem separatam esse ab assumptione. Si quadam in argumentatione satis est uti assumptione, et non oportet adjungere approbationem assumptioni; quadam autem in argumentatione infirma est assumptio, nisi adjuncta sit approbatio: separatam quiddam est extra assumptionem approbatio. Est autem argumentatio quaedam, in qua assumptio non indiget approbationis; quaedam autem, in qua nihil valet sine approbatione, ut ostendemus. Separata est igitur ab assumptione approbatio. Ostendemus autem id, quod polliciti sumus, hoc modo: *Si oportet velle sapere, dare operam philosophiae convenit.* Haec propositio indiget approbationis. Non enim perspicua est, neque constat inter omnes, propterea quod multi nihil prodesse philosophiam, plerique etiam obesse arbitrantur. Assumptio perspicua est haec: *Oportet autem velle sapere.* Hoc autem quia ipsum ex se perspicitur et verum esse intelligitur, nihil attinet approbari. Quare statim concludenda est argumentatio. Est ergo assumptio quaedam, quae approbationis non indiget. Nam quandam indigere perspicuum est. Separata est igitur ab assumptione approbatio. Falsum ergo est, non esse plus quam tripartitam argumentationem.

Cap. XXXXII. Atque ex his illud jam perspicuum est, esse quandam argumentationem, in qua neque propositio,